DE LIPOMATIBUS GENERATIM PECULIARITER VERO DE PIGNECULA...

Giovanni Giacomelli

DE

LIPOMATIBUS GENERATIM

PECULIARITER VERO

DE

PINGUECULA

INAUGURALIS DISCEPTATIO

QUAM

AD LAUREAM MEDICINAE

ADSEQUENDAM

IN

PERVETUSTO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE LEGEBAT

JOANNES GIACOMELLI

PATAVINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

VIRO SPECTATISSIMO

JOSEPHO TORRESINI

MEDICINAE ET CHIRURGIAE

DOCTORI

CLINICAE ET THERAPIAE OCULISTICAE

PROFESSORI EXIMIO

NEC NON

PROFESSORIBUS OMNIBUS

JOANNES GIACOMELLI

GRATUS OBSEQUENTISSIMUS

D. D. D.

Morbi sunt semper iidem, locus autem differentiam facit.
Ambros. Bertrandi T. II. Opere anatomiche e cerusiche.

Quum ita sit, O. P., sapientissimum Caesaris nostri consilium, ut omnes ad lauream medicinae adsequendam disceptationem inauguralem in lucem edant, licet res pro viribus meis ardua, tamen ad hoc coactus en qualecumque modo memet accingo.

Tumoris nomine ea praeternaturalis partis alicujus distensio intelligitur, qua ejusdem figura commutatur, et non raro etiam actio corrumpitur. Plures ab auctoribus et recentioribus, uti a clarissimo Bell, Boyer, Monteggia et Sabatier factae sunt tumorum divisiones. Quin tamen in harum consideratione immoremur, melius considerari tumores oportet, prout hi locum babeant in una vel altera parte, prout organa quae ab hisce affecta sint, prout demum substantiarum natura a quibus efformentur. Si itaque considerentur tumores e substantiarum natura in illos a corporibus externis, in illos a transpositione solidarum partium, in illos ab humoribus productos distingui posse videntur. Tumores sic dicti humorales altero modo etiam dividuntur, nempe in illos vel e chilo genitos, vel ex sanguine, vel ex humoribus ab eodem sanguine aut emanatis, aut secretis. Ad primos attinent tumores mesenterii,

et mesocolon ex glandularum gurgite, sed hi proprie minime existunt, ut Boyer optime animadvertit (1). Ad secundos referuntur ii, qui ex puro sanguine, vel ex sola illius alba parte enati sunt, quorum primi flegmones, foruncoli, antraces, aneurismata, tumores varicosi, fungosi, sanguinei; secundi vero scirrhi, carcinomata, oedemata, leucophlegmatiae, hydropisiae, hydrocephali, hydrotoraces, ascites, hydrocele. Ad postremos denique spectant varietates multae, prout iidem sunt humores, uti ex. gr. tumores viarum lacrymalium, ranula, tumores urinosi. Adeps aliaque humorum genera ex sanguine secreta, quae cellulas textus cellularis adimplent, saepe tumores frigidos, aut per congestionem vocatos efformant, quorum alii cistici, alii cellulares dici possunt. Inter hos lipoma locum tenet, de cujus specie generatim, peculiariter vero de pinguecula sive de tumore adiposae indolis inter oculi conjunctivam enato mihi in praesens faciendus est sermo.

Lipoma, uti ex graeco nomine λίπος, adeps, est tumor subcutaneus, solidus, ex pinguedinis sanae incremento. Hinc structura hujusmodi tumorum speciei recte examinata nihil aliud, quam purum adeps naturae proximum videtur, hac tamen differentia, quod sacculi pinguedinosi majori gaudent dilatatione. Lipomata minime sunt dolentia nisi aliqua externa causa in hisce moveat dolo-

(1) Trattato delle malattie chirurgiche T. II. cap. 1. Dei tumori in generale.

rem, color cutis naturalis uaque dum haec ita extendatur, et venae varicosae fiant ut lucida, et rubro-pallida cutis eveniat veluti aliquantisper inflammata, sensibili caloris gradu carent, lenti sunt formationis progressus, forma incircumscripta, et superficies ita est inaequalis, ut eorum subdivisiones tactu clare distinguantur; durities denique parum differt ab illa quam scirrhus offert. Quum vero hi tumores magis circumscribuntur, et a cellulari textu, vel densiore membrana veluti involucro continentur, tunc facile cum altera tumorum specie, lupiarum dicta, confundi possunt. At si consideret expertus sane Chirurgus et mollitiem et compressibilitatem in atheromatibus, in meliceridibus vero fluctuationem, nec non in ambobus superficiei aequalitatem, hasce duas tumorum species facile inter se distinguet. Tamen observandum est nec talia, nec alia signa non semper sufficere, operatione enim facta, aliquandiu horum tantum natura cognoscitur. In hujusmodi tumoribus cystis proprie dicta deest, nam omnis globulus adipis a proprio aeculo circumdatur. Et reapsa Joannes Baptista Morgagnius in ea est opinione, ut *tumores hi, nihil nisi excrescentiae sint ipsius quae sub cute est membranae adiposae, quippe non ex pinguedine magis, minusve liquida, et peculiari cysti andique comprehensa, sed ex pinguedine facti cellulis inclusa membraneis* (1). Morgagnius hinc verbis hisce naturam etiam lipomatum designat, quae quidem

(1) De sed. et caus. morborum epist. anat. med. L. n. 24.

754

opinio cum illa sir Astley Cooper (1) congruit, nempe minime tumores hos ex sola pinguedine efformatos: sed adiposam membranam auctam, attamen spissiorem esse ceterarum corporis partium. Ex Girard atque Loder scriptis lipomata cysti carere affirmare possumus. Hi enim observarunt cystis spissitudinem eo majorem esse, quo minorem humoris densitatem ab ipsa comprehensi, scilicet in meliceride solidiorem quam in atheromate et steatomate; cum in hoc postremo fere imperceptibilis imo nulla quandoque observetur. Hoc recentiorum etiam chirurgiae scriptorum sententiam confirmat, cum Dupuytren et Sabatier affirmarunt, lipomata (qui tumores duritiem fere, uti dictum est, scirrhosam aequant) ex globulis pinguedinosis in cellulosis cavitatibus aut cellulo-fibrosis contentis esse composita. Fere semper cystim deesse diximus, Monteggia enim refert se una tantum vice (2) cystim vere membranosam a qua tumor adiposus obvolvebatur invenisse, et in hujusmodi observationem etiam Morgagnium incidisse opere citato (3).

Olim confundebantur lipomata cum steatomatibus. Littrius omnium primus novum genus illorum constituendum esse censuit (4). Cum vero Fabricius ab Aquapendente tradiderit steatoma, ubi in capite non est sed in aliis partibus, videri continere materiam pinguedini potius similem, quam

(1) Trans. med. chirurg. Vol. XI. pag. 440.
(2) Inst. chirurgiche T. II. cap. 14. §§. 426.
(3) Epist. anat. med. L. n.° 2.
(4) Hist. de l'Acad. R. des Scienc. an. 1709. Obs. anat. 5.

aevo, verbis hisce perpensis a Morgagnio inter antiquos, inter recentiores vero a Lovis, nec non ab aliis, accidit ut Littrii opinio minime admissa esset, veluti non naturalis. Quod si materies contenta, et caussae non solum perpendantur, verum etiam steatoma semper, ut ait loco citato celeberrimus Boyer (1) in cancrum desinere justa sane apparebit Littrii divisio. Concludendum igitur est lipomata ad tumores frigidos et cellulares attinere, quandoque licet bujusmodi cysti obvolutos aliquem observasse.

Partes corporis humani diversae inter se a textu intermedio, sic dicto cellulari, connexae ita sunt, ut hic magnam fibrarum omnium partem formare videatur. Sanitatis statu hujusce textus cellulae inter se communicantur eodemque modo, quo corporis cavitates magnae ab humore, qui continuo ab ostiis vasorum exhalantium in illas transit, hinc ab inhalantibus educitur, molles ac madefactae fiunt. Quum absorptio in qualibet organismi parte inhalationem aequat illius humoris, qui illuc sese transfert, minime iste colligitur. Contra vero si quantitas separata major est illius, quae absorbetur, ea textus cellularis portio, in qua haec inaequalitas locum habet, tensior ac plenior fit, auctaque majori modo tali inaequalitate, istiusmodi fluidi collectio vicinarum partium renixu evicto tumorem efformat. Cum materies hinc in uno vel altero loco congesta serosae indolis sit aut oedemati, aut hydropisiae, si vero

(5) Dei tumori freddi art. 12.

oleosae naturae obesitati locum dat. Minime nostra interest hic inquirere, an hoc eveniat ab adaucta vasorum inhalantium, an potius ab imminuta vi vasorum absorptioni inservientium. Satis de hoc plurimi auctores. Videtur hinc, causa proxima tumorum omnium in praeponderantia virium fluidi impellentium, aut in hujusce influxu supra solidis partibus inesse, quae praeponderantia a disiquilibrio aut inhalationis, aut absorptionis dependet. Quara causae hujusmodi praecipue tumorum speciei efficientes, uti ceterorum est: primo disiquilibrium duarum supradictarum potentiarum: secundo, enata ab hoc collectione, haec partes vicinas evincere tentat, adauctaque organicarum vicinarum partium nisum evincit. Quo igitur disiquilibrium minus, eo major partium erit reactio, et ad tumores minor proclivitas. Aliae sunt etiam causae praedisponentes sic dictae, et occasionales quae hisce tumoribus ansam praebent. Praedisponentes causae praecipue in sanguinis crassitudine et tarditate sitae sunt, cum inde lympha, et succi albuminoso-tenaces ac viscidi ad aliquam partem determinari possunt. Quandoque enim videtur per diathesim, aut universalem organismi dispositionem, ut tumores hujusce indolis per totum corpus vagantes, aliquandiu vero aliquam propter causam in loco quodam particulari efformentur. Contusiones inde aliaqua id generis, obstruentia etiam uti causae occasionales observandae sunt. Aetiologia sic breviter perspecta, loca in quae insurgere lipomata possunt videre oportet.

Haec sedem in qualibet organismi parte figere possunt. Talea sunt Alexandri, atque Eliae Camerarii, Joannis Georgii Hoyeru, Elsholzii observationes. Morgagnius globum sanae pinguedinis ad cartilaginem vetulae cujusdam ensiformem, nec non in alterius anus femore observavit (1) tumorem quoque ipse idem auctor (2) ad hominis nates affixum, et a Valsalva, sa inspactante, capitis infantis magnitudine exstirpatum describit. Ita tumor vere pinguedinosus ad regionem frontalem ubi fere nullum adeps a Joanne Baptista Verna chirurgo celeberrimo eradicatus fuit ex fide Bertrandi (3). Dupuytren teste R. B. Sabatier (4) hujusmodi tumorum speciem ad volas, ad plantas observavit, quo in loco enasci minime existimabatur etiam inter recentiores a Boyer (5).

Sed praeter haec loca, aliae sunt etiam corporis partes, quae hisce tumoribus aliquando afficiuntur, et quod rarum est, ipsa conjunctiva oculi in tumorem indolis lipomatosae incidit. Tumor hic a plurimis oculisticae auctoribus injuste, ut ita dicam, pterygium pingue vocatus fuit, sed immortali Beer Windobonae, Himly Gottingae professori, et scholae quoque nostrae duce eximio professore Josepho Torresini pingueculam potius istum nominare placuit. Injuste, nam pterygium sic definit Italiae nostrae aeternum decus, chirur-

(1) Epist. citata n.° 24 (2) Epist. ejusdem n.° 23.

(3) Op. cit. T. II. § 517.

(4) Addizioni al § 116 dei lipomi T. III. sez. 4. artic. unico; traduzione di Pietro dott. de Philippis. Napoli 1822.

(5) Loc. citat. art. 12.

giae et oculisticae restaurator celeberrimus professor emeritus adhuc vivens Antonius Scarpa (1). *Dicesi dai chirurgi* pterigio *quella membranella non naturale, rossiccio-cinerea di figura triangolare ec.* Hinc Forestus (2) ait *pterygium non cooperit oculum nisi in forma sagittae*. Quae signa patognomonica semper in pinguecula desunt, figura enim in hac irregularis, et color est albo-flaveacens. A quo quidem colore distinguitur etiam a caruncula, graece *ἐγκανθίς* vocata, haec enim est mollis papula, ut definit Joseph Jacob Plenck (3), et rubicunda, quae e conjunctiva, veluti carnea caruncula exsurgit. Pterygium denique minime corneae (4), ubique accretum est; contra vero in plicam semper elevari potest, quod non dicendum est de pinguecula.

Causa tum proxima, tum praedisponentes et occasionales causae aeedem sunt generatim, quae diximus lipomatum; constitutio vero aegrotantis in hac morbi forma, ut ita dicam, exclusive apparet.

Sed quod attinet ad symptomatologiam, pinguecula est tumor ex adipis molleculis flavescentibus, doloreque carens pro parte in oculi conjunctiva, pro parte in subtili textu celluloso conjunctivae subadjacente situs, formae irregularis, raro lentis parvae magnitudinem excedens, et ra-

(1) Trattato delle principali malattie degli occhi. T. I. cap. 11.

(2) Opera med. lib. 11. obs. 6.

(3) De morbis oculorum pag. 86.

(4) Loco citato Plenck pag. 97.

vissime super corneae marginem paulo extensus, et hoc quoque in casu visioni fere nullum affert detrimentum. Angulum oculi externum semper praedilígit, contra vero pterygium angulum internum, nec non homines fibra quam maxime laxa praeditos afficit. Quae pinguecula sive adipis collectio et sclaroticae et corneae conjunctivam, veluti pterygium, epidermidis et cutis continuitatem esse probat. Alia quoque pathologiae phaenomena pro tali sententia pugnant. Quum enim aliqua conjunctivae portio a corporibus externis aufertur, aspera corneae superficies denudatur, hinc ejusdem exulceratio. Ad hoc anatomiae sublimis, et physiologiae in hac celeberrima Universitate professor optime meritus Stephanus Gallini sic opinatur (1): *L'esterna tonaca o integumento, che sembra interrotto alle aperture delle narici, della bocca, degli occhi, dell'ombelico, delle parti genitali e dell'ano, non termina però all'orlo di quelle cavità, ma continua internamente divenendo soltanto più tenue, e tappezza l'interno di esse cavità.* Beniaminus praeterea Travers anglus in synopsi morborum oculorum (2) cum sermonem habet de cutis continuitate supra oculos refert. *Il pterigio*, quod nobis de pinguecula melius dicendum est, *mostra la continuità in un modo evidentissimo.* Morbum hunc G. Joseph Beer delineavit (3) quem ex mu-

(1) Nuovi elementi della fisica del corpo umano Vol. I. Padova 1820.

(2) Tradoz. del dott. G. A. Pisa 1823. P. I. pag. 54-55.

(3) Band II. Tafel IV. Das VI. Bild. lehre von den augenkrankheiten ec.

liere valde obesa trigesimum sextum annum agente deprompsit; et in ea praecipue est opinione cum sermonem habet de pingueculae symptomatologia, ut (1), *niemahls bey sehr jungen individuen forkommt*, videlicet nunquam in junioribus obvenire soleat.

Anno elapso in nostro clinico oculisticae Instituto visu raro inter nos morbus hic nobis occurrit in adolescentula decimum sextum annum vitae suae vix attingente, quae ab ortu istum secum duxerat, et hinc pinguecula congenita denominata, quam in praesens observationem describere breviter mihi placet.

Maria Violin ex agro patavino temperamento asthenico incitabili praedita, habituque clorotico, menstruisque menses post duos ex apparitione orbata in hanc oculisticae scholam die quarta mensis novembris anni elapsi 1826 ingressa est. Ex ortu uti diximus pingueculam parvi milii magnitudine, uti a relatione compertum est, secum ferebat ad angulum dexteri oculi externum inter conjunctivam corneae et scleroticae situm, quae in annos adaugebatur. Morbus hic minime hereditarius esse poterat, parentes enim a nullo unquam oculi morbo conflictati fuere. In tumoris centro siti erant pili duo quorum unus minor, alter major, hicque longitudine duarum circiter linearum. Elapsae aestatis tempore in acutam ophthalmiam vel, ut ait Walther, conjuntivitem incidit Maria, cujus causa facto in tumoris centro suppurationis veluti puncto, pili ambo ceciderunt, ho-

(1) Band II. Haupt obs. IV. Abschnitt III. cap. 2. § 44.

rum unus et vero longior rursus in medium parvo dehinc tempore sese protulit. In morbis etiam internis et universalibus acutis pili et capilli summa cum facilitate cadunt, cum inde in juvenibus praecipue facili modo iterum producantur.

Frequens est pilos nunc auctos, uti in hoc casu, nunc collectos etiam in intimis organismi recessibus, ex. gr., in encephalo, in cordis interna superficie, in mesenterio, in testibus, in vagina, et etiam in ovariis observare. In teste sinistro docti bononienses Menghinus et Bonzius, in dextero Manfredius (1), intra feminarum testiculos Bauhinus (2), Wepferus (3), Andreas Veronici (4), Stalpartius (5), et Hallerus (6) pilos conspexerunt. Morgagnius intra processum transversum pilum vidit crassioris cerebri meningis (7). In thyroideae glandulae tumoribus etiam interdum minutis ossibus pilos immixtos scripsit Cornelius Celsus (8). Celebris demum Albinus pilum conspexit, ut et Morgagnius in caruncula lacrimali (9). Hinc Sabatier (10) sic ait: *Le cisti oleose, buttirose ed adipacerse spesso portano internamente dei*

(1) Comment. de Bon. soc. acad. T. II. pag. 5.
(2) Thaeat. anat. lib. 1. c. 55.
(3) Apud Schorkoff th. 17.
(4) Apud Targioni prima raccolta di osserv. mediche.
(5) Cert. 2. pag. 1. obs. 57.
(6) Opusc. pathol. obs. 42.
(7) Op. cit. epist. 20. n.° 58.
(8) De medic. lib. 7. c. 13.
(9) Scarpa, Op. cit. T. I. cap. 4.
(10) Loco supra citato add. § 116.

bulbi, donde nascono dei peli simili a quelli delle palpebre, o delle sopracciglia.

Pinguecula tum cum a nobis est inspecta grani hordei magnitudine erat, ejus figura fere piriformis, superficies inaequalis adeo, ut duo tumores inter se fortiter conjunctos nobis ostenderet. Major hujusce elevatio, in qua pilus trium circiter linearum iterum enatus immorabatur, partim corneam suppositam, partim scleroticam occupabat, minor vero scleroticae supersedebat. Coloris erat subflavi, et tumor absque dolore digiti compressioni minime cedebat. Ab angulo externo in tumoris centrum tria vasa transferebantur, quorum quod in medium erat, a colore rubicundiore arteriam esse judicavimus, altera venas. Hinc ex symptomatibus hisce videtur pingueculam, quae primo clinicae oculisticae nostrae visu sese obtulit, majorem esse illis a Beer et Himly observatis, et in juvenibus etiam sese quandoque manifestare posse.

Cum morbus iste Mariae aliquantisper prae magnitudine incommodum ferret, licet parum visioni esset detrimenti, utile adjudicatum fuit de medio tumorem tollere die vigesima quarta mensis supra dicti, operandi tempus enim non necessitatis sed electionis hoc erat in casu.

Generatim scimus quod tumores frigidi raro, hac tamen exceptione quod molliores uti meliceerides facili modo, difficili imo nullo modo duriores, resolvuntur. Demours (1) ait hisce in casi-

(1) Traité des malad. des jeux T. I.

bus: *En général les topiques produisent rarement un effet réel*. Legitur quoque in Encyclopedia methodica chirurgiae (1), *lorsque sa nature est bien reconue, et sour-tout dès qui il commence à devenir incommode, il faut l'extirper*, et etiam dein habetur, quod *le volume du lypôme tendant constamment à s'auroître*. Beer loco supra citato nullum tentari remedium cum de pinguecula agatur, existimat, et scribit ope remediorum morbosam affectionis formam alterantium, quae contra corneae maculas commendavit, se feliciter atque perfecte pingueculam abstulisse, sed insuper credit nequaquam eundem effectum in omnibus ejusdem indolis morbis haberi posse, praeprimis si forsitan aliqua dyscrasia in aegri organismo lateat. Monet demum ejus curationem quandoque scarificationibus acu lanciniformi superficialiter institutis accelerari posse. Quae omnes opiniones bene perpensae praecipue Beer nostro in casu minime utiles esse poterant; durities, et magnitudo, et natura tumoris ipsa bisce indicationibus adversabantur. Cum hinc operatio nobis esset sola indicatio therapeutica, methodos in pterygii exportatione usas observavimus. Sed veterum methodus longa nimis erat, et dolorosa, recentiorum, uti Beer et Scarpa, cum ageretur de tumore firmo et partibus suppositis valde adhaerenti, difficilis, imo contra indicata, minime enim uno tantum tempore tumorem forfice et bene exstirpare nostrum erat. Quare palpebris bene firmatis professor eximius Torresini, sueta qua utitur dexteritate, cultro tu-

(1) T. II. art. Lipôme.

moram semicirculariter in parte altiori, majori nec non interna incidit, scilicet illa in parte, ad keratockelem evitandum, a qua corneae conjunctiva ab illa scleroticae dividitur. Hoc facto instrumento a chirurgis sic dicto *pinzetto*, tumor ad angulum externum jam versus, et in hoc comprehensus pedetentim ab oculi bulbo sublatus fuit. Parum interfuit si aliqua tumoris portio remanserit, cum inde per suppurationis processum haec quodamodo fundatur atque expellatur. Balneis tepentibus per aliquot horas haemorrhagiae favimus doctrina Cooper edocti (1) a qua scimus, *che lo sostanze dei tumori adiposi*, et praecipue uti observavimus oculorum, *non è mai dotata di vasi sanguigni troppo grandi, quindi senza fondamento il timore dell' emorragia nell'operazione*. Inflammatio nec non febris irritativa secundaria levis fuit. Quatuor post dies collyrium ex decoctione radicis altheae et mucilagine gummi arabici uti imminueretur copiosa diei antecedentis suppuratio, praescriptum fuit. Septima curae die, cum apici tumores sublati fungositas apparuisset, ad collyrium leviter cathereticum, scilicet ex aluminis crudi granis duobus in aquae distillatae unciis duabus solutis confugiendum necesse fuit; cui quoque diebus sequentibus addita fuit pomata ex mercurio precipitato rubro, et butyro recenti insulso loco affecto penicillo admota. Oculis minime chloroseos et amenorrheae complicato optimum professorem fugit. Martialia enim praescripsit omnibus curae diebus, cum duplici indicatione sa-

(1) Dizion. chirurg. tumore adiposo.

tisfacere valeant, ad cujus longum usum aegrae quoque suasit. Sic quatuor et decem post curae dies ex Instituto clinico Maria sponte egressa nobis inde summae fuit voluptatis istam omnino sanatam conspicere. Haec fuit indicatio, haec curatio in casu nostro; exitus rem probat.

Sed uti redeamus ad curam generatim methodos lipomatum, videtur ad resolutionem, quae si agatur de meliceride quandoque facile obtinetur, reliquum difficile, et saepe impossibile, licet Balthazuar, Sculteto et Girard ad hoc linimenta, et caetera ad sidera tollant, Lovis vero suffumigia ex aceto cui intus solvitur gumma ammoniaca, ad suppurationem, ad injectiones, ad setonem, ad causticum, ad exstirpationem vel ligaturae, vel sectionis ope reduci posse. Exstirpatio tamen ut plurimum est praeferenda. Sed in hisce immorari parum credo utilitatis, auctores quamplurimi satis de horum cura et antiqui et recentiores scripserunt.

Quum de pinguecula at de lipomatibus dicendum est, prudens judicium sit. Pinguecula enim saepe si parva, et non alicujus momenti ipsum absque oculi damno ad vitae usque finem retineri potest; ceterum si magna, et super corneam aliquantisper extensa, nsm potius corneae margini insistit, quam ulterius, juxta Beer observationes unquam extenditur, necessario cum visioni aliquo sit aut maximo detrimento operationem expostulat. Ad cujus executionem praeter morbi naturam, et dyscrasiam praeprimis, quae forsitan in aegri organismo jamdiu latet, observanda est.

Praeterea circumspectio in illis aegris commendatur, in quibus systema dermoidale sic dictum vulnerabile non ignoratur.

Quod si loquamur generatim de tumoribus pinguedinosis nisi praegrandibus, et partibus appositis nimis adhaerentibus, ut plurimum cura bono et cito gaudet effectu, contra reservatam prognosim referre utile est; plurimi sunt operationis exitus.

Hanc qualecumque modo persolutam credo dissertatiunculam, quam tenuem veluti meorum progressuum in medicis disciplinis fructum excipiatis, S. P., benigniter velim. Si non satis exacte dixi, date veniam. Opusculum hoc parvum clinicis ex observationibus ortum est; et felix ero si a vobis dicere tantum sentiam, quod jam dixit de apibus Virgilius:

Illae continuo saltus, sylvasque peragrant
Purpureosque metunt flores et flumina libant
. . . . *hinc arte recentes*
Excudunt ceras et mella tenacia figunt.
Georg. lib. 4.

THESES

I. Antidotum contra arsenicalia venena reapse ignoscitur.

II. Acidum hydrocianicum facile decomponitur; ergo ejus actio incerta et variabilis in animali oeconomia.

III. Tumores lymphatici non semper ex ruptura vasorum ejusdem nominis efformantur, ut nonnulli chirurgiae Professores adfirmant.

IV. Superfetatio dari potest.